

formatum, ut causa facturæ ejus, animandi corporis necessitas extitisse credatur; an prius, & olim facta, ob aliquam causam ad corpus sumendum venire existimetur: & si ex causa aliqua in hoc deduci creditur, que illa sit causa, ut agnosci possit, scientiæ opus est. Sed & illud requiritur: utrum semel tantum corpore induatur, & id postmodum depositum ultra non querat; an cum semel susceptum deposuerit, iterum assumat, & si secundo sumptum semper habeat, an aliquando iterum abiciat. Et si quidem secundum autoritatem scripturarum, consummatio imminet mundi, & corruptibilis status hic in incorruptibilem mutabitur, ambiguum non videri quod in præsentis vite statum, secundo aut tertio in corpus venire possit. Nam si recipiatur hoc, necessario sequitur ut hujusmodi successionibus consequentibus finem nesciat mundus, & adhuc cognitionem sui anima requirit, si est aliquis ordo, aut sunt aliqui spiritus ejusdem substantiæ cum ipsa. Alii vero non eisdem, sed diversi ab ea, id est, si sunt & alii spiritus rationabiles ut ipsa est, & alii carentes ratione. Et si eadem est ipsius quæ & angelorum substantia, quoniam rationabile à rationabili nequaquam differre creditur. Aut si non est quidem talis per substantiam, sed erit talis per gratiam, si meruerit; an non possit omnino similis effici angelis, nisi hoc naturæ suæ qualitas, aut similitudo receperit. Reddi enim posse videbitur quod amissum est, non tamen conferri id quod ex initio conditor non dedit. Sed & hoc adhuc ad cognoscendam semetipsam hujus mundi: si virtutis animæ ejus accedere potest & decedere. An est immutabilis, an acquisita semel ultra non desinit. Et quid opus est plura commemorare, quibus ex causis semetipsam cognoscat anima, ne forte, si neglexerit perfecte semetipsam cognoscere: exire jubeatur in vestigiis gregum: & pascere hædos: & hoc non in proprio tabernaculo, sed in tabernaculis pastorum, cum præsto sit volenti hæc persequi, largissimas occasiones ex his quæ supra memoravimus sumere, in quibus sese exercere in sermone scientiæ pro viribus possit. Dicantur verò hæc à Verbo Dei, etiam ad animam que in profectibus quidem posita est: nondum tamen ad summum perfectionis ascendit. Quæ pro eo quidem quod proficit, pulchra dicitur: ut autem pervenire possit, & ad perfectionem, fiat ad eam comminatio necessaria. Quod nisi per ista singularia, que supra diximus, semetipsam cognoverit, & vigilanter exercuerit in Verbo Dei, & lege divina: contingeret ei de his singulis opinionibus colligere diversorum: & sequi homines nihil egregium, nihil ex Spiritu sancto locutos: hoc est enim exire in vestigiis gregum, & eorum doctrinam sectari: qui & si ipsi permanerint peccatores, nullum peccantibus remedium providere poterunt. Quos qui sequitur, hædos utique qui peccatorum indicium tenent, videbitur pascere: circumiens tabernacula pastorum: diversas scilicet sectas philosophorum. Intuere ergo plenius quam terribile est, quod sub hac adumbratur figura. Exi, inquit, tu in vestigiis gregum, quasi ad eam loquitur que intus sunt anima, & intra mysteria collocata: pro eo tamen quod negligat semetipsam cognoscere, & requirere que sit: & quid vel quomodo agere debeat, quidve non agere, dicitur ei, exi tu: quasi que ob hæc desidiæ culpam foras mittatur ab eo qui præest. Sic ingens animæ periculum est, scientiam sui agnitionemque negligere. Sed fortasse, quia duplicem expositionem dedimus agnitionis suæ animæ: videbitur cuiuspiam secundum eam quidem que de moribus & de actibus suis discutere negligit, & inquirere de profectibus suis, aut perferuntari de vitiis, merito ei dici, exi: per quod videatur, quasi de interioribus, foras propelli. Si vero secundum editionem aliam, qua diximus, quod naturam substantiamque suam agnosceret debeat & statum, vel in quo fuerit, vel in quo erit, grave crederetur. Quæ enim facile talis anima invenietur, ita perfecta, ita præpotens, cui horum omnium ratio, & intelligentia pateat? Ad hoc respondebimus, quoniam sermo qui habetur in manibus, non ad omnes animas fit, neque ad adolescentulas quibus hic loquitur sponsus, neque ad cæteras mulieres, neque ad octoginta concubinas, aut sexaginta reginas: sed ad illam que inter omnes mulieres sola pulchra dicitur & perfecta. Unde apparet ad dilectas qualque animas hæc dici: quibus cum gratia multa sentiendi & intelligendi à Deo data sit, negligunt tamen scientiæ partes, & cognoscendi semetipsas nullum adhibent studium. His ergo comminatur sermo divinus: quia quibus multum datur, multum ex eis exigitur: & humilis quidem, & venia & misericordia dignus

erit: potentes autem potenter cruciabantur. Si ergo & tu anima, que pulchrior es & eminentior inter cæteras (verbi gratia) doctrinis, negligas temetipsam, & in ignorantiam tuam maneat: quomodo poterunt vel hi qui edificari desiderant, instrui, vel convinci & argui contradicentes? Dignè ergo cum comminatione quadam ad eam dicitur: Exi tu in vestigiis gregum, & pascere hædos tuos in tabernaculis pastorum. Potest ad hoc trahi etiam illud quod Moyses scribit: quod si qua Israëlita mulier adulteraverit, lapidetur. Si vero filia sacerdotis, ignibus exuratur. Sic ergo iusta videbitur esse comminatio in eos qui capaces esse possunt ad agnitionem & scientiam, sed per desidiam negligunt. In quos iustissima indignatio sponşi est: quia sit unius negligentiam credere ad damna multorum. Similis enim videbitur hujusmodi anima, vel illi qui acceptum denarium abscondit in terram, ne lucri aliquid ex eo pecuniæ Dominus acquireret: vel illi quem occidisse dicitur Deus, quia malignus erat Onan, vel Heri scilicet qui accepta semina scientiæ naturalis, posteritati invidens, profundebat in terram. Pastores quoque sicut & antè jam diximus: siquidem ad Ecclesiam comminationis hic sermo fit, mundi hujus principes accipiendi sunt: vel illi angelis sub quorum cura relique gentes habentur, sive sorte in hoc, sive secretioribus causis quibusdam seductæ. Si verò ad unamquamque animam comminatio ista referatur, que semetipsam negligit agnoscere: sapientes & magistri hujus sæculi intelligendi sunt, docentes sapientiam hujus mundi: ut in summa hoc intelligatur, quia necesse est animam eam, præcipue que bona & pulchra est, sensibus & ingenio vigilans, cognoscere semetipsam: & dare operam ad agnitionem sui per exercitia doctrinæ, & studia divina: ac per hoc agi Spiritu Dei, & spiritu adoptionis: Aut si talis hæc anima semetipsam neglexerit, & à divinis studiis declinaverit, necesse est eam operam dare studiis mundanis & sapientiæ sæculi: & agi spiritu mundi hujus iterum in timore. Quod designat Apostolus cum dicit, Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo. Et iterum: Non accepimus enim iterum in timore spiritum servitutis, sed spiritum accepimus adoptionis, in quo clamamus Abba Pater. Hæc interit nobis de præsentis loco occurrere poterunt: nunc jam convertamur ad consequentia. Equitatum meo in curribus Pharaonis: simile te arbitratum sum proxima mea. Historicus quidem sensus hoc videtur ostendere. Sicut, inquit, tunc in Ægypto cum Pharaon persequens populum Israël processit in curribus & equitatu: & meus, hoc est Domini mei sponsi equitatus longe præcelsabat currus Pharaonis, & præstantior erat, utpote qui illos superaverit, & in mare demerserit: ita & tu proxima mea sponsa, præcellis omnes mulieres, similis effecta equitatu meo: qui Pharaonis curribus comparatus, potentior utique est & magnificentior. Hic interim mihi videtur esse ordo sermonum ipsorum verborumque directio. Videamus autem ne forte secundum intelligentiam mysticam, animas que sunt sub illo spirituali Pharaone & sub spiritualibus nequitis posita, currus dicat esse Pharaonis: & quadrigas ejus quas ipse agit & ducit ad efferendum populum Dei, & ad opprimendum Israël. Certum enim est, quia tentationes & tribulationes quas excitant demones sanctis, per animas aliquas excitant ad hoc ipsum aptas & convenientes. Quibus tanquam curribus ascensis, exagitant & impugnant, vel Ecclesiam Dei, vel singulos quoque fidelium. De equitatu verò Domini, qui sit ejus iste equitatus, in Exodo quidem, ubi superantur currus Pharaonis & demerguntur in mare, nihil legitur scriptum: nisi tantum quòd Dominus currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare rubrum. Invenimus tamen in quarto Regnorum libro: quòd Elisæus de adventu hostium qui cum equitatu, & curribus venerant, formidanti puero suo dicit: Ne timeas, quoniam plures sunt nobiscum, quam cum illis. Et oravit, inquit, Elisæus, & dixit: Domine aperi oculos pueri hujus ut videat. Et aperuit Dominus oculos ejus, & vidit: Et ecce mons plenus equitibus erat: & currus ignei in circumitu Elisæi, qui descendebat ad eum. Sed & in Prophetâ Abacuc manifestè & evidenter legitur scriptum: quòd Domini, & quòd ascendat equos suos. Sunt ergo scripturæ verba hæc: Nunquid in fluminibus irasceris Domine, aut in fluminibus furor tuus, aut in mari rubro impetus tuus? qui ascendes equos tuos: & equitatus tuus salus. Sunt ergo equi Domini, quibus ascendit: & equitatus ejus. Quos ego non alios esse puto quam illas animas que frenum disciplinæ ejus accipiunt,

accipiunt, & jugum portant suavitatis ejus, & que Spiritu Dei aguntur: & in hoc est eis salus. In revelatione Johannis legitur, quòd apparuit ei equus, & sedens super eum quidam fidelis & verus & cum justitia judicans, cujus nomen est Verbum Dei. Ait ergo: Et vidi cælum apertum: & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verus, & cum justitia judicans, & pugnans: & oculi ejus sicut flamma ignis, & super caput ejus diademata multa, habentia nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse: & adpærtus erat vestimento sanguine conperso, & vocabatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus ejus erat in cælo: & sequebantur eum in equis albis, indui byssino albo puro. Sed opus est gratia Dei, que horum nobis aperiat intellectum, quo possimus advertere quid ista indicent visiones, qui sit equus albus, & quis sit qui sedet super eum, cujus nomen est Verbum Dei. Et forte quidem dicit aliquis, album esse equum corpus quod assumpsit Dominus, & quo ille qui in principio erat apud Deum, Deus verbum, vel vestitus vel vectus est. Alius autem animam dicit: quam assumpsit primogenitus omnis creaturæ: & de qua dicebat: Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Alius vero utrumque simul, corpus atque animam, quasi ubi peccatum non fuerit, equum dici album putabit. Alius adhuc quarto loco Ecclesiam dicit, que & corpus ejus nominatur, album videri equum, quasi non habentem maculam aut rugam, quam sibi ipse sanctificavit lavacro aque. Secundum hæc autem singula etiam illa accipiet que sequuntur, militiam cæli & exercitum Verbi Dei: & quomodo singuli quique eorum sequentes Verbum Dei, equis albis sedebant: & byssinis albis induantur, & mundis. Huius ergo equo albo quo ipse vehitur qui Verbum Dei appellatur, vel huic equitatu cælesti qui eum sequitur in albis nihilominus equis, comparat & similem facit Christus Ecclesiam suam. In curribus autem Pharaonis, vel ita postsumus accipere: ut quantum hic Domini equitatus, equitatum & currus Pharaonis evincit & præcellit: tantum tu que pulchra es in mulieribus, præcellis & evincis omnes reliquas animas, que adhuc jugum Pharaonis portant, & sèssores ejus patiuntur: vel certe quod equitatus hic meus, qui lavacro aque mundatus, purus & candidus factus est, & Verbum Dei meruit habere sèssorem, ex curribus assumptus est Pharaonis. Inde enim omnes veniunt credentes, quia Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Hoc ergo modo potest explanari versiculi hujus sensus. Equitatu meo qui fuit ante in curribus Pharaonis, & nunc sequitur me in equis albis, purificatus in lavacro aque: similem te arbitror proxima mea. Beatè ergo sunt illæ animæ que dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant sèssorem Verbum Dei super se, & frenâ ejus patiuntur: ut quocumque ipse voluerit flectat eas & agat habenis præceptorum suorum: quia jam non propria voluntate incedunt, sed ad omnia ducuntur & reducantur voluntate sèssoris. Et fortassis videbitur secundum hoc quòd ex multis animabus congregata est Ecclesia, & exemplum vitæ accepti à Christo: quòd non tam ab ipsa deitate Verbi Dei acceperit, que utique supereminet eos actus vel affectus qui ad exemplum dari hominibus debeant: sed illa anima que assumpta est ab eo, in qua fuit summa perfectio: illa sit ad exemplum posita: & ipsa dicat hic, proxima mea: cujus similitudinem habere debeat etiam Ecclesia: que ex multis congregatur animabus, illis scilicet que prius fuerant sub jugo & curribus Pharaonis, & equitatus Domini appellantur. Quæ autem ex duabus expositio convenire magis proposito versiculo videatur, probabis etiam tu qui legis. Quam speciosa facta sunt genæ tuæ, tanquam turturis: cervix tua, sicut redimicula. Ordo dramatis, hujusmodi videtur habere consequentiam: quòd postea quam austeriore usus est comminatione sponsum ad sponsam, protestatus est quòd nisi cognosceret semetipsam, exitura esset in vestigiis gregum, & pasceret non oves sed hædos, eruberit super austeritate præcepti: sed & rubor verecundiæ diffusus in vultu, speciosas effecerit genas ejus: & multo quam fuerant pulchriores. Non solum autem genæ, sed & cervix ejus tam decora sit reddita, quasi monilium redimiculis adornata. Pulchritudo ergo genarum, turturibus comparatur: quod per hujusmodi aves simul honestas vultus & alacritas indicitur. Hæc est historici dramatis explanatio. Sed veniamus ad rem. Paulus Apostolus scribens ad Ecclesiam Corinthiorum, ita ait: Corpus autem non est membrum unum, sed multa. Et si dixerit

pes, quia non sum manus, non sum de corpore: non propterea non est de corpore: & si dixerit auricula, quia non sum oculus, non sum de corpore: non propterea non est de corpore. Si totum corpus est oculus, ubi est auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem Deus posuit unumquodque membrum in corpore, sicut voluit. Et cum plura de hoc disputasset, ad ultimum dicit: Vos autem estis Corpus Christi & membra ex parte. Et iterum ad Ephesios scribens dicit: Subiecti invicem in timore Christi. Mulieres viris suis subiectæ sint sicut Domino, quia vir caput est mulieris, sicut & Christus est caput Ecclesiæ: ipse Salvator corporis. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam suam: & semetipsum tradidit pro ea: ut eam sanctificaret lavacro aque: ut ipse sibi præpararet gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut esset sancta & immaculata. Et post pauca, Nemo, inquit, enim aliquando carnem suam odio habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus: & reliqua. Per hæc ergo edocemur: quomodo sponsa Christi, que est Ecclesia, etiam sit corpus ejus, & membra. Si ergo audias sponsi membra nominari: Ecclesiæ membra dici intellege, in quibus sicut sunt aliqui qui dicuntur oculi, pro intelligentiæ sine dubio ac scientiæ lumine: & alii aures, pro audiendo verbo doctrinæ: alii manus, pro bonis operibus religiosisque ministeriis, ita sunt alii & qui genæ ejus appellantur. Genæ autem partes vultus dicuntur, in quibus honestas, & verecundiæ animæ agnoscitur, per quod sine dubio illi in membris Ecclesiæ declarantur, qui castitatis & pudicitie excolunt honestatem. Pro his ergo ad omne corpus sponsæ dicitur, Quam speciosa facta sunt genæ tuæ? Et observa quia non dixit, quam speciosa sunt genæ tuæ, sed, quam speciosa facta sunt: ut ostendat prius quidem non eas ita fuisse speciosas, sed postea quam suscepit oscula sponsi, & ipse qui loquebatur per Prophetas prius affuit, & mundavit sibi ipsi Ecclesiam suam lavacro aque: & fecit eam non habere maculam, aut rugam, & agnitionem sui præstitit ei: tunc facta sunt speciosa genæ ejus. Tunc enim castitas, & pudicitia, & virginitas que prius non fuerat, per Ecclesiæ genas specioso decore diffusa est. Quæ tamen genarum species: id est, pudicitia & castitatis, turturibus comparatur. Turturum ferunt hujusmodi naturam esse, ut neque masculus præter unam feminam adeat aliam: nec femina plus quam unum patiat maren: ita ut si accidat altero intercepto superesse alterum: pariter cum conjugé extinctus sit ei concubitus amor. Convenienter ergo similitudo turturis, aptatur Ecclesiæ, quòd vel alterius viri post Christum conjugium nesciat, vel quòd continentia & pudicitia in ea tanquam turturum volitet multitudo. Secundum hanc intelligentiam etiam cervicem sponsæ accipiamus. Quæ sine dubio ille intelligi debent animæ, que Christi jugum suscipiunt dicentis: Suscipite super vos jugum meum: quia jugum meum suave est. Obedientia ergo ejus, cervices ejus appellantur. Cervix ergo ejus speciosa facta est, sicut redimicula: & merito. Quam enim prius prævaricationis inobedientia turpem fecerat, nunc obedientia fidei, speciosam fecit & pulchram. Cervix ergo tua speciosa facta est, sicut redimicula. Ad utrumque enim subaudiatur, speciosa facta est. Redimicula hic dicit constrictiones, vel connexiones monilium que in cervicibus federe solent: ex quibus deducitur & descendit per omne collum reliquis ornatus. Ipsi ergo ornamento quod cervicibus & collo imponi solet, cervicem sponsæ comparavit. Quod dictum ita advertimus. Cervicem diximus subjectionem, & obedientiam dici, pro eo quòd quasi jugum Christi suscipiat, & fidei ejus obedientiam præbeat. Ornamentum ergo cervicis ejus que est obedientia, Christus est. Ipse enim prior factus est obediens usque ad mortem: Et sicut per unius Adæ scilicet, inobedientiam, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam, Christi dantaxat, justi constituantur multi. Ornamentum ergo & monile cervicis Ecclesiæ, obedientia Christi est. Sed & cervix Ecclesiæ: id est, obedientia ejus, similis effecta est obedientiæ Christi, quod est monile cervicis. Magna ergo in hoc laus sponsæ est, magna Ecclesiæ gloria, ubi imitatio obedientiæ ejus, exequatur obedientiæ Christi quem imitatur Ecclesia. Hæc ipsa species monilis, etiam in Genesi memoratur à Judda Patriarcha Thamar nurui suæ, quando cum ea quasi cum

Tom. V.



meretrice concubuit data. Quod non omnibus patet mysterium. Intelligitur per hoc quod Christus Ecclesie, quam ex multorum dogmatum profusione collegerat, futura perfectionis hac dedit pignora: & istud obedientie monile cervici eius impoſuit. Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadſque rex ſit in recubitu ſuo. Supra diximus quod ſpecie dramatis libellus hic ordinatus, perſonarum immutatione contextitur: & nunc ergo videntur hæc amici, vel ſodales ſponſi ad ſponſam locuti, qui ſecundum intelligentiam myſticam, & ut ſupra jam diximus, aut angeli, vel etiam Prophetæ, aut Patriarchæ poſſunt intelligi. Non enim tunc ſolum cùm poſt baptiſmum Joannis in deſerto tentatus eſt à diabolo Dominus, acceſſerunt angeli, & miniſtraverunt ei: ſed ante adventum præſentiæ corporalis miniſtraverunt ſemper. Nam & lex diſpoſita in manu per angelos dicitur mediatoris. Et ad Hebræos ſcribens Apoſtolus dicit: Si enim qui per angelos habitus eſt ſermo, factus eſt firmus. Iſi ergo erant velut autores, & procuratores; appoſiti parvulæ ſponſæ cum prædago, lege: donec plenitudo temporum veniret & mitteret Deus filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, & adduceret eam ſub autoribus, & procuratoribus, & prædago, lege: ut ipſus Verbi Dei oſcula, doctrinam ſcilicet verbaque ſuſciperet. Antequam ergo tempus horum adeſſet: ſi in multis angelorum miniſterio excolebatur ſponſa qui apparebant tunc hominibus: & loquebantur ea, quæ res poſcebat & tempus. Non enim tu mihi ex adventu ſalvatoris in carne ſponſam dici, aut Eccleſiam putes: ſed ab initio humani generis, & ab ipſa conſtitutione mundi, imò ut Paulus docet, alius myſteri huius originem repetam, ante etiam conſtitutionem mundi. Sic enim dicit ipſe: Sicut elegit nos in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti, & immaculati coram ipſo in charitate, prædeſtinans nos in adoptionem filiorum. Sed & in ſalms ſcribitur: Memento congregationis tuæ Domine: quam congregaſti ab initio. Prima etenim fundamenta congregationis Eccleſiæ, ſtatim ab initio ſunt poſita. Unde & Apoſtolus dicit, ædificari Eccleſiam, non ſolum ſuper Apoſolorum fundamentum, ſed etiam Prophetarum. Inter Prophetas autem numeratur & Adam: quia magnum myſterium prophetavit in Chriſto, & in Eccleſia, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adherere uxori ſuæ: & erunt ambo in carne una. Evidenter enim de his dictis eius, dicit Apoſtolus. Quia myſterium hoc magnum ſit. Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Sed & idem Apoſtolus cùm dicit: Sic enim Eccleſiam dilexit, ut ſemetipſum traderet pro ea, ſanctificans lavacro aquæ: non utique oſtendit eam prius non fuiſſe, quomodo enim dilexiſſet eam quæ non erat? Sed eam ſine dubio dilexit quæ erat. Erat autem in omnibus ſanctis, qui ab initio ſæculi fuerunt facti. Diligens igitur eam, venit ad eam. Et ſicut pueri ſui communicaverunt carni, & ſanguini: ſimiliter & ipſe participes factus eſt eorumdem, ac ſemetipſum pro eis tradidit. Ipſi enim erant Eccleſia quam dilexit: ut eam, vel numeroſitate augetet, vel virtutibus excoleret, vel perfectionis charitate de terris transferret ad cælum. Miniſtraverunt ergo & Prophetæ ab initio, miniſtraverunt & angeli. Quid enim aliud fiebat tunc, cùm apparuerunt tres viri Abraham ſedenti ad quercum Mamre? Licet illa, angelorum ſpecies plus aliquid quàm angelicum oſtenderit miniſterium: nam Trinitatis ibi myſterium predebat, hoc erat & in Exodo: cùm angelus Domini dicitur in flamma ignis apparuiſſe Moysi in rubo. Continuo autem in ſubſequentibus Dominus & Deus loqui in angelo ſcribitur, & ipſe Deus eſſe Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob deſignatur. Quod quidam hereticorum legentes, dixerunt: Deum legis & Prophetarum longè inferiorem eſſe, quam Jeſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum: & eoſque impietatem ſuam pertenderunt: ut plenitudinem quidem in Chriſto ponant, & in Spiritu ſancto: imperfectionem verò & infirmitatem in Deo legis. Sed hæc aliis. Nunc autem nobis propoſitum eſt oſtendere, quomodo ſancti Angeli, qui ante adventum Chriſti, velut parvulæ adhuc ſponſæ tutelam procurabant, ipſi ſunt amici & ſodales ſponſi: qui ad eam dicere videantur: Faciamus tibi ſimilitudines auri cum diſtinctionibus argenti, uſquequo rex ſit in recubitu ſuo. Indicant ergo quod ipſi faciunt ſponſæ: non aurum (neque enim habebant tale aurum quale dignum erat offerri ſponſæ) ſed pro auro, ſimilitudines auri ſe facere promittunt. Et non unam ſimilitudinem, ſed multas. Ita etiam dicunt de argento: ſed

quasi habentes licet parvam argenti materiam, promittunt ſe ei facere, non ſimilitudines, ſed diſtinctiones argenti, utpote quibus non tanta abundaret argenti materia, ut conexum aliquid, & ſolidum opus ex eo producere poſſent, ſed diſtinctiones ſolas ac ſigna quædam parva, velut puncta interfererent illi operi, quod ei ex auri ſimilitudine faciebant. Hæc ergo amici ſponſi illi, de quibus ſupra diximus, ſponſæ faciunt ornamenta. Sed quid in his ſecreti contineatur, & quid elocutionis novitas ipſa parturiat: omnipotentis verbi ac ſponſi Patrem precemur, ut ipſe nobis arcani huius clauſtra patefaciat: quo poſſimus non ſolum ad intelligenda hæc illuminari, verumetiam ad proferenda: ac ſecundum menſuram eorum, qui lecturi ſunt, moderationem eloqui ſpiritualis accipere. Auri ſpeciem in multis ſæpe oſtendimus figuram tenere inviſibilis, & incorporæ nature. Argentum verò virtutem verbi acrationis, ſecundum quod & Dominus dicit per Prophetam: Dedi vobis argentum & aurum, vos autem feciſtis argentea & aurea Baalam: oſtendens per hæc, & dicens: quia dedi vobis ſenſum & rationem, qua me Deum, & ſentire poſſetis, & colere: vos autem & ſenſum & rationem, quæ in vobis eſt, ad colenda dæmonia tranſuuliſti. Sed & eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne probatum dicitur. Et item in aliis argentum ignitum, juſti lingua memoratur. Cherubim verò aurea dicitur: quoniam quidem plenitudo ſcientiæ Dei interpretantur. Sed & candelabrum in tabernaculo teſtimonii aureum & ſolidum poni jubebatur: quod mihi videtur formam tenere naturalis legis, in qua lux ſcientiæ habetur. Sed quid opus eſt multa congregare teſtimonia: cùm in prompta ſit ſcire volentibus in multis ſcriptura locis hoc indicari, quod aurum ad ſenſum mentemque revocetur: argentum verò ad verbum atque eloquia referatur. Nunc ergo properemus ad contemplandum, quomodo ſecundum ea quæ præmiſimus amici ſponſi dicant ſe ſimilitudines auri facere ſponſæ cum diſtinctionibus argenti. Videtur ergo mihi quod lex quæ per angelos diſpoſita eſt in manu mediatoris: quandoquidem umbram habeat futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum: & quæcumque continebant illis qui in lege referuntur, in figura & non in veritate continebant. Iſta omnia ſimilitudines auri fuerunt, non aurum verum: quod ſcilicet aurum verum in illis quæ incorporæa ſunt & inviſibilia ac ſpiritualia intelligatur. Similitudo verò auri, in quo non eſt ipſa veritas, ſed umbra veritatis, iſta corporæa, & viſibilia accipiuntur: verbi gratia, Similitudo auri fuit iſtud tabernaculū manu factū de quo dicit Apoſtolus: Non enim manu facta iſta introivit Jeſus exemplaria verorum, ſed in ipſum cælum. Ergo quæ in cælis ſunt inviſibilia & incorporæa, iſta ſunt veræ: iſta autem quæ in terris ſunt viſibilia & corporæa, exemplaria verorum dicuntur eſſe, non veræ. Iſta ergo ſunt quæ ſimilitudines auri appellantur: in quibus eſt & arcæ teſtamenti, & propitiatorium, & Cherubim, & altare incenſi: & menſa propoſitionis, & panes: ſed & velamen, & columbæ ac ſeræ, & altare holocauſtorum: & ipſum templum atque omnia quæ in lege ſcripta ſunt. Omnia hæc ſimilitudines erant auri. Sed & ipſum aurum viſibile, pro eo quod inviſibile erat, non erat aurum verum: ſed ſimilitudo erat illius veri auri inviſibilis. Iſtas ergo ſimilitudines auri, fecerunt ſponſæ Eccleſiæ ſponſi amici: angeli videlicet, & Prophetæ, qui miniſtraverunt in lege cæteriſque myſteriis. Hæc opinor & Paulus intelligens dicebat: In religione angelorum, in his quæ videt fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ. Omnis ergo Judæicus cultus & religio, ſimilitudines ſunt auri. Cùm autem converſus fuerit quis ad Dominum, & ablatum fuerit ab eo velamen: tunc videbit aurum verum, cujus auri antequam adeſſet & cognoscendum ſe præberet, ſimilitudines fecerunt ſponſæ amici eius, ut ex illis ſimilitudinibus, commonita & provocata, veri auri deſiderium caperet. Hoc enim factum indicat Paulus, cùm dicit: Hæc autem in figura continebant illis. Scripta autem ſunt propter nos, in quos ſinis ſæculorum devenit. Sed ſinem, quem dicit Paulus, non intelligas corporalem: Finis enim corporalis multos inveniet, pro quibus non ſunt ſcripta hæc. Neque enim huiusmodi de his recipient intellectum; ſed ſinem ſæculorum, perfectionem rerum intellige: quæ utique Paulo, & ſimilibus eius adveniſſe, & propter ipſos ſcripta hæc eſſe dicuntur. Sed hæc in exceſſu diximus, volentes oſtendere quomodo amici ſponſi dicant ad ſponſam, facere ſe ei ſimilitudines auri cum diſtinctionibus argenti: per ea ſcilicet quæ in lege, & Prophetis, per figuras, & imagines, & ſimilitudines, & Parabolas ſcripta tradi-

derunt. Sunt tamen in his & parvæ quædam diſtinctiones argenti, indicia ſcilicet ſenſus ſpiritualis verbi & interpretationis rationabilis, licet valde rara & exigua. Ante adventum namque Domini vix ſcubi Prophetarum aliquis parum quid oculi ſermonis aperuit: verbi gratia, ut Iſaias cùm dicit: Vineæ Domini ſabaoth: domus Iſraël eſt, & domus Juda novella dilecta. Et iterum alibi: Aquæ multæ, gentes multæ ſunt. Et Ezechiel nominans duas ſorores, Oollam, & Oolibam, aliam Samaritiam diſtinguit eſſe, & aliam Judæam: & ſcubi talia quædam ipſiſ Prophetis interpretantibus aperiantur, iſta diſtinctiones argenti dicuntur. Ubi verò Salvator, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus advenit, nota faciens omnia verbo virtutis ſuæ, in paſſione ejus iudicium datum eſt: quod ea quæ in abſconditis tegebantur, & arcana erant, in lucem proferrentur, & ad manifeſtationem venirent: per hoc quod velum templi, quo ſancta ſanctorum & arcana velabantur, ſciſſum eſt deſurſum ejus uſque deorſum: palam fore denuncians omnibus, quod intrinſecus videbatur obtectum. Sic ergo illud quod per Angelos & Prophetas miniſtratum eſt, ſimilitudo auri fuit cum diſtinctionibus parvis & exiguis argenti. Hæc autem quæ per ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum tradita ſunt, in auro verò & argento ſolido collocata ſunt. Hæc enim quæ per amicos ſponſi facta eſt ſimilitudo auri cum diſtinctionibus argenti, non in ſempiternum manſura promittitur: ſed tempus ei ſtatutum ab illis ipſiſ dicitur: uſquequo rex ſit in recubitu ſuo. Cùm enim recubans dormierit, ut leo & ut catulus leonis, & poſt hæc ſuſcitaverit eum pater & reſurrexerit de mortuis: ſi qui fuerint conformes reſurrectionis ejus, jam non in ſimilitudine auri, id eſt, non in rerum corporalium cultu manebunt: ſed aurum verum ab ipſis percipient, credentes & ſperantes, non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur: nec quæ in terris ſunt, ſed quæ in cælis, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, & dicit: Quia & ſi cognovimus Chriſtum aliquando ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus. Non ergo jam diſtinctionibus parvis argenti, ſed in latitudinem diſuſo utentur argento. Audient enim, quia in illa auri ſimilitudine, petra, quæ ſequi dicitur, & potum populo præbere Chriſtus eſt, & mare baptiſmus eſt, & nubes Spiritus ſanctus eſt, & manna Verbum Dei eſt, & Agnus Paſcha Salvator eſt, & ſanguis agni, Paſſio Chriſti eſt, & velum quod eſt in ſanctis ſanctorum, quo divina illa & arcana tegebantur, caro ejus eſt, aliaque innumera, ex ejus reſurrectione patebunt, non jam parva ut prius diſtinctione, ſed latiffima expoſitione patefacta. Adhuc autem ut clarius fiat quod dicit, uſquequo rex ſit in recubitu ſuo, etiam de ſecunda Balaam prophetia, quæ de Chriſto ita continet proferemus. Orietur, inquit, ſtella ex Jacob, & erit homo de ſemine ejus, & dominabitur gentibus multis. Exaltabitur Gog regnum ejus, & creſcet regnum ejus. Deus eduget eum ex Egypto, ſicut gloria unicornis, & comedet gentes inimicorum ſuorum, & craſtitudines eorum emedullabit, & jaculis ſuis ſagittabit eos. Recubens, ut leo requieſcet, & ſicut catulus leonis. Quis ſuſcitabit eum? Conſidera ergo & ex his diligentiſ, & vide quomodo omnis ſimilitudo auri uſque ad extremum tempus, ad recubitum regis ſcilicet ſtare memoratur. Poſt hæc ergo exaltabitur Gog, id eſt, ſuper recta regnum ejus, cùm videlicet de terris ad cæleſtia fuerit recta tranſlatum. Sed de his plenus, prout Dominus dedit, in Numerorum libro proſecuti ſumus. Requiritur ſanè ſi etiam ſanctis patribus ipſis & Prophetis, qui miniſtraverunt verbum ante adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, perfectionis huius verique auri gratia data ſit, an tantum futura hæc intellexerint, & in ſpiritu ventura præviderint, atque ob hoc ſolum dixerint Gog regnum de Abraham, Quia deſideraverit videre diem ejus, & viderit & letatus ſit, quod ſcilicet in ſpiritu futura præviderit, & magis forte hoc ita eſſe, etiam ille ſermo confirmet, qui ait, Multi juſti deſideraverunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audiverunt. Quamvis nec illis poterit deſuiſſe perfectio veniens ex fide. Quæ enim nos facta credimus, hæc illi majore cum expectatione futura credebant. Sicut ergo ex adventu Chriſti, credentes præteritorum fides, ſita & illos futurorum ad ſummam perfectionis adduxit. Quod ſi ad unamquamque animam referatur expoſitio, videbitur quod donec parvula eſt adhuc anima & imperfecta, & ſub tutoribus & procuratoribus poſita, ſive doctoribus Eccleſiæ, ſive angelis, qui parvulorum cultodes eſſe dicuntur, & videre ſemper faciẽm patris, qui in cælis eſt, ſimilitudines auri ſunt ei, cùm

Tom. V.

non ſolidis & fortibus alitur verbi Dei cibus: ſed ſimilitudinibus imbuitur: velut ſi dicamus, Parabolis & exemplis docetur, pro quibus & ipſe Chriſtus dicitur ætate creſcere & ſapientia, & gratia apud Deum & homines. In illis ergo ſimilitudinibus imbuitur: & ſunt ei parvulæ diſtinctiones argenti. Aperiantur enim interdum & his qui imbuuntur parva aliqua, & rara de ſecretioribus myſteriis: ut deſiderium concipiant majorum. Neque enim deſiderari quid poſſet ſi penitus ignoretur, & ideo incipientibus & primis in eruditionibus poſitis, ſicut non ſunt ad ſubitum cuncta pandenda: ita neque penitus abſcondenda ſunt ſpiritualia myſteria, ſed ut ait ſermo divinus, faciendæ ſunt eis diſtinctiones argenti: & ſcintillæ quædam ſpiritualis intelligentiæ animis eorum initiandæ ſunt: ut guſtum quodammodo deſiderandæ dulcedinis ſumant: ne, ut diximus, ſi penitus ignoretur, nec omnino deſideretur. Verum quod parvulam nominamus animam, nemo ita accipiat, quaſi ſecundum ſubſtantiam parvula dicitur: ſed ſi cui deſt eruditio, & in qua eſt exiguus intellectus ac minima peritia, hanc parvulam dicimus animam. Igitur hæc fieri convenit, uſquequo rex ſit in recubitu ſuo: id eſt, uſquequo in id proſiciat huiusmodi anima, ut capiat regem, & habeat recubentem in ſemetiſa. Sic enim dicit hic rex: Quia habitabo in eis & inambulabo in eis: proſecto qui tantam Verbo Dei, cordis ſui latitudinem præbet, ut etiam in eis deambulare dicatur, ſpatis ſcilicet amplioribus intelligentiæ agnitioniſque diſſuſioris. Ita ergo & recubare dicitur in anima illa ſine dubio, de qua ipſe Dominus dicit per Prophetam: Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem & quietum, & trememum ſermones meos? Habitat ergo rex iſte, qui eſt ſermo Dei, in illa anima, quæ jam ad perfectum venerit recubitum ſuum, ſitamen non ſit in ea aliquod vitium, ſed plena ſit ſanctitate, plena pietate, fide, charitate, pace omnibuſque virtutibus. Tunc enim deleſcat in ea recubare regem, & habere recubitum. Ad hanc enim animam Dominus dicebat: Quia ego & Pater meus veniemus & cœnabimus cum eo, & manſionem faciemus apud eum. Ubi ergo cœnat Chriſtus cum Patre, & ubi manſionem facit, quidni recumbit? Beata illius latitudo animæ, beata ſtrata illius mentis, ubi Pater & Filius, ut non dubito, una cum Spiritu ſancto recumbit, cœnat & manſionem facit. Quibus putas opibus, quibus copiis tales convivæ paſcuntur? Pax ubi primus cibus eſt, humilitas ſimul apponitur ac patientia, mansuetudo quoque & lenitas, & quod luminæ ei ſuavitatis eſt, puritas cordis. Charitas autem in hoc convivio principalem obtinet locum. Tali ergo modo, etiam tertia expoſitione, ad unamquamque animam referri poſſe videbitur quod ait: Similitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti, quoadſque rex ſit in recubitu ſuo. Nardus mea dedit odorem ſuum: ſive, odorem ejus. In ſpecie dramatis videtur hoc oſtendi, quod poſt hæc verba ingreſſa ſit ſponſa ad ſponſum, & unguentis ſuis unxit eum: ac miro quodam genere, quaſi nardus quæ prius odorem non dederat, cùm eſſet apud ſponſam, tunc dederit odorem ſuum, cùm corpus contigit ſponſi, ut non tam ille ex nardo odorem, quam nardus ex ipſo ſumpliſſe videatur. Si verò ſecundum hanc differentiam, quæ in aliis invenitur exemplaribus legimus: nardus mea dedit odorem ejus: invenitur adhuc aliquid divinius, ut videatur unguentum hoc nardi, quo unctus eſt ſponſus, non tantum ſuum, qui nardo ineſſe naturaliter ſolet, ſed ipſius ſponſi odorem ceperit, & ipſius odorem ad ſponſam reportaverit nardus: ut in eo quo unxit eum, odorem ſponſi per ipſius unguenti munus acceperit: & hoc ſit quod dicere videatur, Nardus mea qua unxi ſponſum, regreſſa ad me, odorem mihi detulit ſponſi, & velut ſuperato naturali ſuo odore, præ fragrantia ſponſi ipſius mihi detulit ſuavitatem. Hæc habet hiſtorici dramatis expoſitione, Sed veniamus jam nunc ad intelligentiam ſpiritualẽ. Ponamus hic ſponſam Eccleſiam, in perſonam Mariæ, quæ decenter utique dicitur afferre libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & ungere pedes Jeſu, & detergere capillis ſuis, & recipere quodammodo ac recuperare per crinem capitis ſui ad ſemetiſam unguentum, ex qualitate ac virtute corporis ejus infectum: & odorem non tam nardi per unguentum, quam ipſius Verbi Dei ad ſe trahentem per capillos, quibus abtergebatur pedes: & impoſuit capiti ſuo, non tam nardi quàm Chriſti fragrantiam: & dicere, quia nardus mea, miſſa in Corpus Chriſti, reddit mihi odorem ejus. Denique vide quomodo hæc ipſa referuntur. Maria, inquit, attulit libram un-

ſ i j